

02 H 534





Q. D. B. V.

STATVS NAT-
TVRALIS HOBBSII
IN CORPORE IVR. CIV.

DEFENSVS ET DEFENDENDVS,

Occasione L. 5. de Inst. § 1.

Quem

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO VVILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, CETERA,

P R A E S I D E

NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO,
I. V. D. & P. P.

ad d. V. Maii A. MDCCVI. H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini subiiciet

GEORGIVS CAROLVS Volkamer
a Kirchensittenbach.

Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typ.

1688

STATVS MA

TRIALIS HORTENSII

IN SENATU

COMMUNIS

IN REGIA

DN PHILIPPO VILHELMO

NICOLAUS HERONIMVS

AVGVSTVS

GEORGIVS CAROLVS

AVGVSTVS

50






Præfatio ad Lectorem.

Sicine, ais, defenditis Hobbesium, illam damnatam animam, & impostorem, quo peiorem non vidit ætas nostra; defenditis e Corpore Iuris ciuilis, illo legum bonarum sacrario, ne auctoritas tam exosi hominis euiscescat? Ita est, Lector suauissime. Defendimus vbi defendi potest, tuemur statum naturalem scetere turbis atque bellis: in quo Hobbeseus nec errauit, nec errasse deprehenditur. Allegauimus tibi in ipsa dissertatione Theologum, ICtos, & potuissimus quoque producere Medicum in Batauis clarissimum Velthuysium illum, qui de principiis iusti atque decori iam multis abhinc annis eius tutelam cum laude suscepit, si necessarium existimassimus, medicam applicare vulnerato multorum calumniis manum. Est hæc inueterata & præiudicata apud plures opinio, omnia habere mali speciem in illorum scriptis, qui in quibusdam extravagati, errorum ac lapsionum fluctibus abducuntur. Hallucinati sunt Grotius, Pufendorffius, hallucinati etiam alii, & paullo se mouerunt extra numerum atque ordinem: & defenduntur tamen recte, vbi nec flexerunt vias, nec titubarunt. Erant iuris nostri Interpretes maximam partem gentiles, & adoptarunt sane multa, quæ illi, qui Christo nomen dederunt non probant; & eorum tamen patrociniū non inique suscipitur in aliis, vbi rationis
rectæ

PRAEFATIO

rectæ reliquiæ eos nequaquam fefellerunt. Itaque carpat Hobbesium sancta multitudo, discerpatque ad lubitum, vbi ad castra iniuste contradicentium se recepit: accommodabimus etiam nos inimicas manus, præstituri auxilium, nisi sola iam sit adeo pollens, vt nostra ope carere possit tuto. Quis enim nisi insanus probet vltima in Leuiathane? Defendit in multis eum Pufendorffius, eiusque demonstrationes non infeliciter est secutus. In iis quæ religioni periculum minantur, iuste deseruit, confutauitque in doctissimo tractatu de *Habitu Religionis Christianæ ad vitam ciuilem*. Adscribam Io. Nicolai Hertii, ICTi Giessensis laude nostra maioris locum, quem vides in præfatione libris Pufendorffii de iure naturæ & gentium recens præfixa: *Neque tamen spreuit, inquit, Scriptorem acutum, & in demonstrandi arte, quam a Mathematicis petitam ad res morales transtulit, fere incomparabilem: imitatus hac in parte apes, quæ e floribus venenatis mel sugunt, & in fauos suos recondunt. Quamquam id æmulis aut inimicis occasionem calumniandi non vnã dederit, quasi & in libris hisce venenati quidpiam lateret.* Calumnias vero iniquas multorum curamus scilicet, imitaturi hac ratione Pufendorffium, Hertiumque, sub quorum umbone nobis promittimus tutam omnia, licet micantes gladii extra nos cieant turbas. In nobis nullus est tumultus. Adest potius quies, adest tranquillitas, nosque velut e specula aliorum immodesta, vt diximus, molimina prospicimus secure. Tibi Lector vouemus bonam mentem, & exoptamus pacem, ne dum quæsiuimus eam, exoriatur ius omnium in omnia, tuque impliceris bello, quod magnopere deprecamur.

Vale, & nobis impertire fauorem numquam desiste.



Status Naturalis Hobbessii in Corpore I. C. defensus & defendendus.

§. I.



Vi de Iure naturæ aliquid memoriarum prodiderunt, plerumque duobus erroribus videntur seducti. Vno quod extra hominis naturam vagati persuaserint sibi, Deum a mortalibus id exegisse, quod omnia animalia docuit (a) natura, vel quod cum eius sanctitate & iustitia (b) conuenit, vel quod communis gentium, aut humani generis consensus (c) rectum iudicauit, vel quod Adamo in statu integro præceptum (d), vel Noacho (e) peculiariter fuit iniunctum, vel denique quod ordo naturæ faciendum omnibus ostendit.

Duo circa
Ius Naturæ
doctorum
Errores.

Primus:

- a) Fuit hæc Ictis Stoicis olim propria opinio, & sæpe a recentioribus defensa acriter; licet Aristotelis placita in aliis sectarentur. Hodie fere liberati ab his contentionibus viuimus.
- b) Scholastici eam ægre hodieque dimittunt, distinguentes subtiliter, abstrahentes, & nescientes sæpe quid ipsi loquantur, sentiantur.
- c) Noti sunt Aristotelis & sequacium sermones.

A

d) Valen-

- d) Valentinus Alberti in Compendio iuris naturæ orthodoxo ad hunc potissimum respexit.
 e) Io. Seldenus Grotii æmulus Noachi præcepta produxit, in quibus multa sunt non naturalia.

§. II.

Secundus.

Altero, dum quidem aliqui ex rationali hominis natura id quidquid est viderunt deducendum, sed eam tamen non nisi secundum Oratores; Philosophos, Poetas sunt speculati. Neque enim quid ipsa esset, qualibusque ageretur hodie affectibus, ostenderunt; Sed quid Cicero de ea, quid Stoici, Epicurus, quid Seneca, aut alii verbis ingenium potius ac adulationem, quam veritatem experimentibus edixere (f).

- f) Debemus hanc observationem partim acutissimo Thomasio nostro in principiis iuris naturæ ea ratione philosophanti, partim etiam ipsi Hobbesio, cuius verba in Dedicatione ad Deuonia Comitem adscribam: *Nunc quod bellum, inquit, gladiis vel calamis perpetuum est, quod non sit iuris & legum maior scientia hodie, quam olim: quod sententiis Philosophorum utraque pars suum ius tueatur: quod alii laudent, alii vituperent eandem actionem: quod idem nunc probet, quæ alio tempore damnat, & sua facta in aliis aliter estimet: signa manifestissima sunt, nihil profuisse ad scientiam veritatis quæ hæcenus scripta sunt a Philosophis moralibus, placuisse vero, non illuminando animum, sed venusta & secunda affectibus oratione, opiniones temere receptas confirmando.* Au Grotium huc referas atque Puffendorium?

§. III.

Antiquæ con-
 trouersie de
 Principio I.
 N. sunt resu-
 scitanda.

Circa priores etiam multa forent monenda, nolimus tamen apponere legentibus crambem bis coctam; nec operæ pretium credimus luctari cum laruis, aut refellere eorum opiniones, quas maximam partem sepeliuit tempus, quæque nonnisi ab illis, qui pro absentibus iure habentur, amplius defenduntur.

§. IV. Cum

§. IV.

Cum Grotio & Pufendorffio nobis agendum est; non tamen adeo acerbè; licet Hobbesium omnium re-
ctissime hic incessisse existimemus. Neque enim toto
cœlo a se inuicem dissentiant hi Triumviri. Idem
quod Hobbesius sibi principium elegit, illi similibus fe-
re gressibus sibi proposuerunt. Pacem Grotius & Pu-
fendorffius volunt, & tranquillitatem, sed vult etiam
Hobbesius (g), licet exosus omnibus sit, licet nouus vbi-
que, paradoxus, inquietus, ac turbulentus habeatur.

Grotius, Pufendorffius & Hobbesius i-
dem iuris
nature Prin-
cipium habet

g) Rectè & pererudite vir illustris Cocceius de Princip. iur. nat. vnic.
& adæquat. quaest. II. §. 2. iudicauit, Hobbesium, Grotium &
Cumberlandum, addo nec Pufendorffium sibi inuicem repugnare
sed causas solum diuersas afferre, seu vt in scholis loquimur, me-
dios terminos distinctos, ad id quod sibi omnes proposuerunt,
propugnandum.

§. V.

Quod exiude videtur provenisse, quod bello mu-
tuoque metu homines ad illam sanctissimam quietem
voluit perducere, de statu naturali hostili, armis infesto
permulta tradens (h). Id vero eruditus intra vallum
& mœnia constitutis tantum incussit terrorem, vt omnia
portare secum tutius existimauerint, & euitare con-
stituerint bellicosum auctorem, quam expectare arma
sibi inferenda: in hoc falsi, quod fuga sibi consulant,
antequam classicum canatur, & pedibus salutem quærant,
antequam spectra terrentia eos insequantur.

Odium Hy-
potheseos
Hobbesiana
unde?

h) Hobbesius vir acutus & Mathematicas demonstrationes in morali
Philosophia secutus, hunc videtur habuisse scopum. Vidit ille
tumultus sub Caroli I. Regimine in patria sua exortos, indoluit-
que. Deprehendit, eos propterea tantam stragem intulisse illu-
stri genti, quod commune imperii vinculum sperneret, variis-
que dissensionibus agitata naturalem libertatem affectaret, sibi

periculosam, & certissimum exitium allaturam. Igitur demonstrare annis est euidenter, non fortius grassanti huic morbo remedium posse opponi, quam si ostendatur, statum naturalem esse hostilem & bellicosum, nec emergere ex illa infelici conditione posse suos Anglos, nisi naturali libertati repudium mitterent, & sub vnus maxime Principis imperio salutem quærent.

§. VI.

An homo sit
conditus ad
pacem?

An in illa
perstiterit?

Hobbesius
negat extra
Imperium
dari tranquil-
litatem.

Sed ita tamen sunt ratiocinati. Ad Stoicos illi se receperunt, ad Ciceronem & Senecam, qui homines non prout sunt, sed prout volebant, alienis coloribus depingere, quasi extra imperium & statum ciuilem inueniatur quies, stabilis societatis amor, firma tranquillitas, pax solida. Nec abnuo, ita nos debuisse esse comparatos; ad pacem concedo nos esse conditos, sed hoc quæritur an in illo amore substiterint homines? Reuelatio clare originem turbarum ostendit; ratio & experientia comprobatur, nos ab illa suauitate & harmonia recessisse, licet causam ignoret, & circumstantias non videat. (i) Illi ergo societatis commoda ante oculos ponere, quæ morborum impetus arceat, quæ senectuti adminicula præbeat, solatia contra dolores suppeditet, illi verborum phaleras excogitare, & in veterum libris quærere occipiebant; non animaduertentes, nihil horum omnium ab Hobbesio negari, nisi primum, quando extra imperium adeo suaues ac bonos mortales somniant, vt status integer rediisse potius videatur, non superuenisse corruptus, vbi auaritia, ambitio, voluptas affectuum reliquorum, irritamenta ac fomenta regnant, non solatium, sed vis; non beneficium, sed cupiditas; non quies, sed suspicio; non pax sed bellum; non adiumenta communia, sed communia detrimenta & arma.

i) Stoici

i) Stoici fato adscripserunt, & vt Seneca in Oedipo: *Fati ista culpa est fere de omnibus vitæ humanæ actionibus dixerunt.* Manilius Poeta sideribus illos effectus imputauit Lib. IV,

- - - *Furit alter amore*

Et pontum tranare potest, & vertere Troiam,

Alterius fors est, scribendis legibus apta:

Ecce patrem nati perimunt, natosque parentes,

Mutuaque armati coeunt in vulnere fratres:

Non nostrum hoc bellum est, coguntur tanta mouere

Inque suas ferri penas lacerandaque membra.

Hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.

Plato materiæ attribuit omnes irregulares motus.

§. VII.

Ego vero ex te, qui sanus es & rectus, iustissime quæro, an magis culpandus sit, qui ideas sibi proponit nuspian existentes, quam forte in Platonis cerebro, aut Republica solis, quam Campanella exstruxit, aut Vtopia illa, quam Thomas Morus descripsit; volo dicere, qui homines forma adeo egregia, adeo sana ac ordinata exprimit, vt plus sibi vtilitatis, quam noxæ dare velint. Annon enim hoc est contra sensum proprium ac experientiam loqui? Ego eorum methodum probo, qui illos prout inueniuntur in his terris ad viuum delineant, peruerfos, insultandi cupidos, suspicaces, ius omnium in omnia necessario affectantes, nisi vinculo quodam imperii reprimantur, & de iure suo, quod sibi videntur habere, cum actionum suarum iudices sunt, & sine superiore vagantur, ipsi recedant.

Homines
considerandi
prout sunt
non prout
ab aliis de-
scribuntur.

§. VIII.

Age igitur consideremus hanc (1) turbam, vt pateant viscera, & quod intus est prodeat; ne amplius imaginarias species nobis obtrudant Philosophi, qui aliter plerumque loqui amant, quam res ipsa est. Videntur illi veterem Stoi-

Philosopho-
rum quorun-
dam phalæra

corum morē imitari, qui ne cōmunes cū vulgo doctrinas haberent, & cum populo vlla ex parte consentirent, singularia semper placita excogitarunt, dolorem malum, voluptatem bonum dicere veriti, soli sapientiam, soli ingenium, soli iudicium affectantes, ceteris ad fungos ablegatis, pepone solum pro corde relicto.

1) Intelligimus homines in genere.

§. IX.

Homo non fertur natura seu per se ad societatem: sed propter aliud.

Quod sane rectius fieri vix poterit, quam si accurate examinemus, quomodo homo aptus natus sit ad societatem, in quo nisi me animus fallat, cardo controuersæ potissimum vertitur, & Pufendorffius maximum præsidium collocauit. Vnde notari ante omnia meretur, Hobbesium haudquaquam repugnare, hominem sine homine perpetuo esse non posse, Optime is comprehendit linguam nobis inutilem, rationem non rationem fore, si in solitudine vita agenda esset, molestiamque intolerabilem sic futuram, etiam si infinita voluptatum abundantia nos circumflueret, aut quod Poetæ de Psyche sua fingunt, spirituum amplissima multitudo seruitia sua exhiberet. Hoc potius ille negat, hominem esse aptum natura ad societatem stabilem, firmam, diuturnam ineundam. Appetimus societates, sed appetimus multa ad quæ sumus inepti. Qui ambitionis stimulis agitantur, feruntur & incitantur vt sint cum aliis vna, sed cum sunt, res novas moliri incipiunt, dominationem affectant, incongrui sui aestimatores, molesti, intolerabiles aliis. Qui cupidine habendi distinentur, quærunt homines, affectant socios; Sed cum habent decipiunt, fallunt, & quantum in se est, perdunt, vt soli habeant, tristes ac inuidi, cum simili felicitate alios florere experiuntur, morituri si a scopo sibi præ-

præfixo repellantur, multosque in communione fortunæ bonorumque tolerare cogantur. Qui voluptatis illecebris ducuntur, magis quidem idonei videntur, ad amicitias concatenandas, sed videntur solum. Delectationes suas quærunt, non reliquorum, pleni rimarum sunt hac atque illac perfluunt, & quod ceteri peruersitate sua malum; hi imprudentia sua conciliant, recessuri statim ab vnione, quam contraxerunt, si irritamenta, quibus pellecti sunt deficiant, nec olla ferueat, aut Bacchus desit, aut Ceres, aut Venus. (m)

m) Confer. Hobbes. de Cive Cap. I. §. II. & nota ad illum prima.

§. X.

Ergo recte Hobbesius, non socios inquit §. 2. sed ab illis honore vel commodo affici natura quærimus. Hæc primario, illos secundario appetimus. Quod specialius multo declarari potest, vt ipse etiam declarauit. Si coeunt commercii causa, vnusquisque non socium, sed rem suam quærit: stultusque habetur, etiam secundum iuris Romani principia, qui contentus damno reliquis lucrum reliquit; nec sine ratione dubites, an sit aliqua societas, in qua bonum, quod quisque adpropriare sibi proposuit, vni decernatur, egentibus ceteris, aut quod sperauerunt, amittentibus. Qui in collegio viuunt, factionem potius quærunt, quam beneuolentiam, suspicio adest, non amor, mutuus metus magis, quam animorum coniunctio, iniuriæ, sæpediscordia, pax vera & stabilis numquam. Si animi & hilaritatis causa: risus pro fine est; risus autem excitatur potissimum, si alienæ turpitudines detegantur, alii contemnantur atque traducantur dieteriis. Confabulatio perpetua Satyra est, & cum lusus intenti sint infantes innocuis; lusus adulatorum omni-

declaratur
primo per
exempla
specialius.

8. STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. I. C.
omnium maxime noxii sunt: absentes lacerantur: adeo
vt non absurdum fuerit consilium eius, qui nouissimus
ex scena confabulantium exire solebat, quia rarius acci-
dit, (accidit tamen aliquando) vt presentium fama in-
periculum adducatur, iisque infirmitates, cum adsunt &
audiunt, exprobrentur. Vbi presentia cessant, ad præ-
terita deuoluuntur, iisque presentium memoria retun-
ditur. Narrantur igitur mira: despiciuntur vulgaria:
expetuntur portenta. Itur cum studio per orbis terra-
rum partes. Excutitur Africa, si noui aliquid apporet;
vagantur per Europæ fines; si illa deficiat, Asia in sub-
sidium aduocatur, & si hæc sit exhausta, America pero-
randi occasio est. Est enim hoc insitum hominibus, vt
quotidiana despiciant, & si non habeant, stupenda fin-
gant, & mentiantur. Eadem hic omnium conditio est;
mira rustici, mira mercantes, mira Physici, Mathemati-
ci, mira Docti, omnes fere ostenta loquuntur, vt facun-
da oratio sit, ceterorumque oculi & aures ad se conuer-
tantur. Plerique magistri haberi volunt, ac extraordi-
naria proferre student. Dic te dissentire, & excitabis
crabrones; fac alium maiorem sectam habere, & saxa
volabunt, & ignes, & faces, furor arma ministrabit: ita
vt nisi contra experientia torrentem niti velis, affirma-
re necessum habeas cum Hobbesio, congressus omnes
spontaneos, vel egestate mutua conciliari, vel captanda
gloria. Vnde referre student congregientes, vel com-
modum aliquod, vel illud *εὐδοκίμειν*, existimationem &
honorem apud socios. (n)

n) Hobbes. loc. cit.

Secundo per
rationes.

§. XI.

Quod si magis abstracte id, quod diximus demon-
stran-

strandum foret, ex definitionibus voluntatis, boni honoris, utilis fieri posset. Etenim societates voluntarie contrahimus. Quod voluntarie appetimus, propter bonum appetimus. Omne autem bonum vel ad corporis organa pertinet, vel ad animi voluptatem. Hac gloria est, & quidquid gloriæ affine videtur: illud sensus respicit, & quidquid ad sensuale bonum conducit, quod communi commodorum nomine complecti potes. Unde relinquitur, non esse nec fuisse societatem, quæ sociorum amore, non autem gloriæ, seu utilitatis studio inita fuerit vel ineatur. (o)

o) Hobbes. loc. cit.

§. XII.

Merito itaque ridemus Peripateticos, qui quod Aristoteles hominem φύσει ζῶον πολιτικὸν dixit, id statim, quod pueri in faba non inveniunt, reperere, hominem non ferri solum natura ad societatem, sed etiam ad ciuitatem coeundam, ac rapi non aliter, ac piscis, vt natet, aut auis, vt volet, aut lapis, vt deorsum descendat, aut quercus, vt glandes ferat. Potuissent illi, si volupe fuisset alio modo defendere Stagiritam, si mortalibus eam inesse aptitudinem affirmassent ad societatem ciuilem amplectendam, qualis in equo cernitur, ad gressus superbos glomerandos, vel in pīttaco, vt voces articulatas emittat: aut in agro, vt frumenti copiam ferat; sed ita cum Hobbessio easdem vt credo tibi- as inlassent; ita hominem per disciplinam & ex vrgenti necessitate eiusmodi animal fieri statuissent, non natura, aut intestino quodam instinctu, quem experientia vitæ magistra confutauit, & adhuc quotidie confutat. (p)

Aristoteles
cum suis
confutatur.

p) Evolve Pufendorff. lib. VII. cap. I. de I. N. & G.

B

§. XIII.

§. XIII.

Cur ipeant
plerique so-
cietatem.

Dominari enim cupimus, aut lucrari non nihil, mutuum opem conferre numquam: quia in seruitiis aliorum maiorem commoditatem speramus. Quoties vero imperare repugnantibus, aut decipere eos, cum quibus vivimus, audemus, toties armorum strepitus exoritur, & ut exoriat, rebus ita dispositis, est necessum. Communis benevolentia frustra expectatur, vbi ambitionis igniculi, propriaeque vtilitatis stimuli vrgent, suavisque somnii loco reputari debet diuturna multorum hominum coniunctio, vbi gloriatio pro fundamento est, aut commodum, paucos in sui communionem admittens, sive potius nullos, quia quod omnibus adest, nulli adest, quoties de præcellentia laborari constat, qua florere omnes expectunt sui honoris, suaeque vtilitatis cum eminentia coniunctæ flagrantissimi. Quamobrem aliis remediis ad illam diffidentiam abolendam opus est, quam quæ a natura suppeditantur. Eiusmodi foedus si durare, & diem debeat ferre, nouo glutine conciliandum videtur, vt metus cesset, iique quos natura per cupiditates ipsorum disiunxit, in magnum, & a periculis alienum corpus compingatur. Imperium, omnium aptissimum ad eum finem obtinendum videtur: sed sumi illud debet, non rapi: Sumi cum iure suo cedunt, quibus præcipere aliquid intendis, cum in te illud transferunt, quod habent proprii, cum non resistunt, cum seipfos priuare illa libertate volunt, maioris vtilitatis ratione, aut certissimi exitii fuga. (q)

q) Vid. Hobbes. l. c. & simul nota secunda.

§. XIV.

§. XIV.

Nam si imperium tollas, succedit bellum; si bellum, fraudes; si fraudes, diffidentia, metus; si metus, vis; si vis, arma; si arma, pernicies; perniciem vero suam quis optabit, nisi stultus, aut sui oblitus? Nimis autem blandi sunt ac faciles, qui extra hunc metum, amorem nescio quem generalem excogitarunt, non nisi in idea reperiendum, quidquid etiam acutissimus alias Pufendorfius moueat, agatque Lib. II. cap. 3. §. 18. de I. N. & G. Nam ubi est ille amor, liceat ita quærere, illa societas communis, a peculiari distincta? Inter homines inquis, ut homines sunt, abs qua nemo est excludendus, nisi per immania scelera sese eadem indignum reddiderit. Bene, inquam si reperiri, aut vnio sine vnione concipi possit, aut amicitia, ubi bonum nullum præstatur, nihil amicum. A vero videtur abluere, homines naturaliter se amare. Aut enim non amant, aut odio se inuicem habent, etsi occultas huius auersionis causas ipsi ignorent. Viuere quidem cum aliis expectunt, non nego, non inficiatur Hobbesius. Sed nimia credulitate, humanæque naturæ ignorantia laboras, si coniungi eos ad veram amicitiam & pacem existimas. Coniunguntur ut turbent, & dum coeunt inuicem, diiuncti cernuntur, & ex ingenita quadam peruersitate, res novas semper moliuntur. Vnde hoc malum sit, Philosophus, iam diximus, ignorat, Theologi ex statu lapsus deducunt, in quo disciplina quadam opus est, nisi in illa corruptione perire singuli velint, aut summa miseriæ experiri mala. Qui posthabitis his omnibus nihilominus suauis socialitatis nomine sibi blandiuntur, infinitis difficultatibus se obnoxios reddunt, brutorum

Extra imperium bellum viget.

An detur amor generallis.

12 **STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. I. C.**
inter se pugnantium coniunctionem societatem dictu-
ri, aut lapidum multorum cumulum amicitiam.

§. XV.

Conringius
Hobbesium
male expli-
cauit.

Neque tamen exinde sequitur, quod Hermannus
Conringius de ciu. prud. c. XIV. sequi ex insigni qua-
dam præcipitantia sibi persuasit, vt omnis societas hu-
mana contra naturæ institutum sit. *Perinde est, inquit
Pufendorffius Lib. II. cap. 3. veritatis luce conuictus, ac
si dicerem, nulli homini per naturam actu loquela connasci-
tur, ergo omnis loquela qua addiscitur, est contra naturæ
institutum. Aut omnes homines per naturam paruuli in
lucem eduntur, ergo vt illi adolefcant, contra naturam
est. Aut homines natura sunt obnoxii malis, ergo contra na-
turam est diata, & medicamentis morbos anteuertere aut
depellere.*

§. XVI.

An non ali-
ud præter
metum re-
medium de-
tur?

Optandum esset fateor, vt homines essent adhuc
ita sani ac boni, ne extra ordinariis eiusmodi remediis
ad sui conseruationem & pacem tam salubrem forent
perducendi, sed optamus, quod non possibile est ob-
tentu, frustra. In vanum effunduntur preces pro eo qui
podagræ doloribus laceratus, confectusque cernitur,
vt rectus incedat, & erectus ambulet; Item qui arden-
tissimæ febris furores sentit, vt quod alias sui officii
fuit, peragat. Vinculum istud amoris, quod fuit, per
enormem libidinem abruptum est; soluta compages a-
micitiæ; collisumque inuicem mortalium genus, vt illa
nunc desideria aerem verberent, & in cassum non sine
doloris quodam augmento emittantur, nisi per impe-
rium labefactatis succurras, & non vti vis, sed vti licet,
eos ad qualemcumque sanitatis gradum prouebas.

§. XVII.

§. XVII.

Miseret me sane Cumberlandi, qui C.I. §. 5. de L.N. *præsumtionem bonitatis ex iure civili attulit, vt malitiam ab humana natura abstergeret. Præsumas & fingas, quamdiu voles homines esse bonos, finges, credo, semper, præsumesque in æternum; & mortalium peruersitas interim Bacchanalia celebrabit. Tu Curios tibi propones, probos, faciles, amantes, & pomum Eridos interea mille diffensiones excitabit.*

An sit præsumendum homines esse bonos?

§. XVIII.

Quod vt cernas euidentius offendam tibi, & posse homines sibi inuicem nocere, & velle etiam, si sine habenis, si liberi & soluti vagentur. Aequalibus eos viribus natura instruxit, vitæque alienæ dominus est, quisquis contemtor suæ. Corporis compages fragilis cernitur, solutu facilis, etiam si leuis ictus præcordia tangat. Non ossa ingentia, non robur Gigantes in tuto collocat. Quo vis non pertingit insidiæ penetrant. Nihil venenis impervium est: eadem astutia, aut si maior prudentia omnium animis insidet, qua maxima quiuis inferre aliis damna aptus est, robustissimumque neci dare potest, etiam si vigiliis, telisque circumseptus ambulat, & æs triplex circa pectus habeat. Inæqualitas quæ nunc est, a lege civili introducta est; quod in tantum verum videtur, vt dormitasse potius Pufendorffium credam, quam Hobbesium, quem ille perstringere propterea Lib. II. cap. 2. de I. N. & G. voluit. Non enim hoc vult noster, quasi naturæ hominum aliquam infirmitatem ciuitas induxisset. Eadem animæ sunt, eadem, totidemque manus; sed exercitium virium defuit, postquam illi in leges consensere, illamque virium æqualita-

Homines sibi possunt nocere, & voluit

14 STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. I. C.
tem imperantium iussibus subieccere, in varios status di-
uisi, & ex suo remittentes, quantum ad firmam stabilem-
que conseruationem sui satis est. (r)

r) Hobbes. l. c. §. 4.

§. XIX.

Obiecta Hob-
besio diluan-
tur.

Noui tamen quid Hobbessio obiiciatur. Qui pot-
est, inquiunt, nocere, ille non statim vult nocere: inge-
nii hæc quædam præcipitancia est, nec ferendus para-
logismus, quem & Cartesius admisit de sensuum fallacia
disputaturus, quod semel me decipere potest, illud
semper decipiet. At ego non sic inquam, Hobbessius
argumentatur, vt falsas consequentias firmissimæ eius-
dem demonstrationes detegant potius, quam stabiliant.
Nam, finge, secundum captum tuum, & peruersos &
modestos homines: fac bonorum insignem multitudi-
nem esse: eosdemque eadem aliis, quæ sibi permittere.
Ex necessitate nihilominus nocebunt, volentque noce-
re. Quis enim modestos distinguet ab immodestis, aut
vbi boni inuenient semper bonos. Eadem diffidentia
obtinebit, idemque metus. Multæ latebræ sunt, multi
recessus in mentibus mortaliū, quos non iniuste semper
timemus, postquam videlicet cognitum est, hominem in
omnes horas mutabile animal esse, nec feminas solum,
sed & mares inconstantissimæ naturæ. Ergo ad arma
etiam boni conuolabunt, licet, cum soli sunt, pacem o-
ptarent, & beatissima quiete perfungi vellent. Latro-
nes etiam patientissimos viros ad sui suorumque mem-
brorum incolumitatem defendendam excitant, qui in
hoc tantum ab iis diuersi sunt, vt quod illi ex naturæ
sue perueritate suscipiunt, hi cum aliter salui esse non
possint, cum quadam repugnantia faciant. Namque
frustra

frustra vrgetur, boni sunt, ergo bona præstabunt; ergo a damnis inferendis alienissimi erunt. Non sic possunt illi a nocendo esse alieni, cum vrgentur. Vrgentur, autem cum sceleratorum vis instat, cum modestia aliorum, si qua est, in occulto latet, & maiora necessarii metus argumenta præsto sunt, quam mutæ fiduciæ, quæ quomodo aliis subsidiis sepositis obtineri possit, ego e- quidem nec video, nec cognosco.

§. XX.

Ex quo illud quoque patet, Hobbesium non esse in morali Philosophia adeo peregrinum, vt quoscumque homines iisdem plane ac similibus cupiditatibus subiiciat. Agnoscit ille quandam differentiam, nec pertinaciter repugnat, vt si iucundum tibi videatur, aliquos eorum sanos ac rectos fingere, fingas licet; dummodo hoc teneas, eos non posse nolle sibi metuere, iisque quos metuunt, aliquid mali inferre, donec plena securitas constet, sed quæ sine pactis tamen constare nequit, aut imperio.

An Hobbesius æquales aut similes hominibus inclinationes adseripserit?

§. XXI.

Quod cum comprehendere fatis non potes, hominis naturam altius rimare, & postquam per ordines quorumuis viuentium ambulaueris, ipse iudica, vter, veritati magis consentanea cogitauerit, dixeritque. Propone tibi si lubet ingeniorum quorumuis certamina, & ex ea contentione propullulantes discordias. Nemo errare facile vult, veritatem omnes manibus tenere cupiunt, plerique consentientes, non dissentientes quæ- runt, & si dissentiant, vniti sane non sunt. Vnde diffidentia oritur, odium, si non apertum statim, occultum tamen, cum nemo etiã ex aliorũ æstimatione stultus ha- beri

Lerna maiorum ambitio.

16 STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. I. C.
berī experat, siue doctrinas species, siue politicam prouidentiam. Quod omnium religionum sectæ te docere possunt, sanctissimæque animæ, quæ se diuino spiritu regi & afflari præsumunt, sanguinolentis sacrificiis sibi inuicem parentaturæ, quoties impunitatem sperant, hæresibusque suis aut schismatibus auctoritatem procuraturæ per reliquorum exitium & ruinas. Ita magnifice omnes de se ipsis sentiunt, suisque opinionibus & moribus, quos cum contentu aliorum extollere pergent, vsque dum vel risus, vel verba, vel gestus, vel aliud quoddam signum patientiam rumpat, & lædendi libidinem cunctantibus inspiret. Et licet non nesciam, non omnes eadem ambitionis alacritate vrgeri; scio tamen, & experimentis constat, quouis vitiorum morbo laborantes, veros amicos non esse, sed occasionibus quibusuis inuigilare, vt noceant, molestiasque, quas ab eiusmodi dissimilitudine sentiunt, ceterorum damnis ac contumeliis a se auertant.

§. XXII.

Item auaritia

Cui malorum multitudini idem, & ad similia tendens habendi appetitus accedit, qui homines non minus ac bruta, & canes irritat, vt de obiecta sibi carne, frustulisque certent, nec diuisionem, sed proprietatem anhelent, aut si diuidant, ad robur prouocent, corporisque & membrorum prærogatiuas, vt in fabula apud Phœdram est:

*Vacca & capella & patiens ouis iniuria,
Socii fuere cum Leone in saltibus,
Isti cum cepissent ceruum vasti corporis
Sic est locutus partibus factis leo:
Ego primam tollo, nominor quia leo,
Secundum quia sum fortis, sic tribuetis mibi,*

Tum

Tum quia plus valeo, me sequetur tertia.

Malo adsocietur, si quis quartam tetigerit.

Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Numquam est fidelis cum potente societas.

Nec vero sic ablatum omne diffidium erit; pugnabunt vacca & ovis suo more, aliisque adiunctæ leoni insultabunt, vt lepores, cum aut prostratus est potentior hostis, aut redactus ab aliis in casses, quem prosternere ipsæ aut subigere non valere.

§. XXIII.

Ita ergo *idem velle*, vt eleganter Seneca loquitur de Ira Lib. III. cap. 31. *amoris causa est atque odii*: ita in statu naturali de nugis certabitur, de gloria, de lucro. Verum enim verò vbi cupiditas regnat, anticipatione In statu naturali vim quadam, si saluus esse velit, quilibet vtetur, maxime cum ille, qui sic agit, non iniuste agat, & contra rectam adhiberi rationem tumultuetur. Etenim non video, quomodo iure possit aliter facere possit, aut quibus ex causis, posita eiusmodi conditione, vituperari queant homines, si inter tot pericula, quæ vnicuique ab appetitione naturali intenduntur, iter ad conseruationem sui aperiant, & quibuscunque modis cauere sibi studeant. An enim eum exstingues instinctum, quo singuli ad bonum sibi feruntur, & ad fugam eius, quod sibi malum est? An illam necessitatem supprimes, qua ego, qua tu, qua omnes constringimur, vt mortem & interitum omnium *Φοβεῶν Φοβερότατον* quam longissime arceamus? Non absurdi credo sumus, aut stulti, si id quod inter varia, quæ nos circumstant discrimina, ratio suadet, mascule exsequamur, dolores amoueamus, membra tueamur, vitam defendamus, conseruemusque. Sane quod con-

C

tra

tra rationem non est, iniuria factum dici, quodque mens recta indulget, illicitum pronuciari nequit. Qui aliter putaret, ostenderet facto suo se mori velle, vitæque tædio commotum ob hoc solum notissimam illam propositionem negare: quemque vitam & membra sua, quantum potest, tueri debere. (s)

s) Vid. Hobbes, cap. I. §. 7.

§. XXIV.

Quod de-
monstratur
amplius.

Namque cum moritur homo, amplius non est corpus, cum spiritus secessit, cadauer habetur. Anima an sit post obitum superstes, vt Philosophi, & extra reuelationis terminum constituti, ignoramus, nec dubitamus, quin paucissimi futuri sint, qui hominis essentiam in sola anima quærent. Non enim nisi Platonicum solatium est, membrorum compagem esse carcerem. Nemo, scripturæ lumine destitutus, certus esse potest an sine ea aliquid esset permanurus. Deinde an torqueri ab aliis velis, vix credam, nisi Stoicum agas, secundum quem Phalaridis taurus paradifus habetur, & intensus dolor non insuavis aliqua voluptas. Igitur & tu iustissime arma capienda iudicabis, tuisque facultatibus vtendum censebis, nisi sciens, viuens, prudensque perire, & quorumuis aduersantium ludibrio exponi velis.

§. XXV.

In statu naturali quilibet est iudex actionum suarum.

Nam inficetum est, quod assertur. Dubium ad huc fore, an bona conscientia eiusmodi violenta adhiberi remedia possint? Nec minus ambiguum esse, an tam peruersa omnibus mens sit, vt beneficentia, patientia, modestia, humanitas exculare penitus, penitusque debeat? Facile quippe reponitur, nobis ius esse nos ipsos

con-

conseruandi, aut minus. Sin illud frustra dubitatur, an vnusquisque ius habeat vtendi omnibus medijs & agendi omnem actionem, sine qua conseruari non possumus. Contradictoria sunt posse aliquem velle finem, & tamen non posse velle media ad finem necessaria. Nam media non amplecti idem est, ac non amplecti finem. Sin hoc, æquissime forte ex te interrogo, cur nobis illa corporis machina sit concessa, illa vita, quam spiramus, illa anima, qua mouemur; vt pessum eamus? vt non simus homines? vt non moueamur? vt aliorum insultibus pateamus? Stultitia est interire velle, cum ad interitum non simus creati; non viuere velle, cum vita nobis sit data, non conseruari velle, cum conseruatio nostri cum vita nostra arctissime sit coniuncta. De violentis vero remedijs alii temere & sine causa iudicium sumunt. Nos ipsi iure naturali iudices sumus. Extra imperium cum viuatur, superiorem nullum agnoscimus. Heic iudex in propria causa esse potest: quod sub communi vinculo ciuitatis vel imperii viuentibus denegatur. Alium eius rei arbitrum facere, summam, n̄ fallor, absurditatem innuit. Nam ita necesse est, vt & ipse agens eius arbitri arbiter statuatur, vtrum scilicet recte arbitratus fuerit? Æqualitatis enim, quæ inter homines natura est, ratio hoc permittit, vt de meis actibus qui iudicet, de eiusdem & ipse iudicem, nisi plus alii in me, quam mihi in alium licere somnies. Nec fallor, si alterius inefficax iudicium dixerò, dum alii in alium ob æqualitatem ius imperii nullum, nulla coactio, nihil præcipuū sit, vtpote quod inæqualitatem innueret. Itaque fiet vt de proprio bono, vel malo rectane mea sit ratio, vel minus, ipse iudex sim. Naturaliter enim

ei potius credendum est, qui de negotio possit rectius testari. Is autem est, qui de eo, quod quaeritur, notitiam rectiorem habet, de cuius proprio bono agitur. Alter alterius bonum vel periculum praesens non aequae sentit, futurum non aequae videt: etiamsi quid lupiter Iunoni in aurem dicat, alias sciat. Frustra ergo illius consilia expetentur. Tu cum hic sis aliter senties, & magis vere, quam alter ex tripode respondebis. (t)

t) Hobbes. de Civ. cap. I. §. 9.

§. XXVI.

Occurritur
obiectioni.

Nec iuvat aliam iuris, aliam recti quaestionem esse, videndumque restare, vtrum regula legi, vel rectae rationi iudicatio conueniat. Conuenit enim meae rationi, se ipsum conseruare. Conuenit rectae rationi, quia hoc Deus vult, conuenit prudentiae, quia imprudens est, qui se negligit; conuenit iustitiae, quia iniustum est, spiritum prodigere, quem Deus totius naturae auctor hominis custodiae demandauit. Actio igitur mala esse non potest. Sufficit pro tranquillanda conscientia desiderium pacis, exercitium (u) non requiritur, nisi vbi haberi potest. Extra imperium vero & ciuitatem haberi nequit, antequam ostendas, magnam multitudinem hominum nullo imperio contentam, a paucis quoque (loquor ad tuam mentem) non posse perturbari, omnes homines sapere, ac dictata sanae rationis & liquidissime intelligere & obseruare, omnesque affectus & prauas libidines plane eiurasse, ac exuisse.

u) In statu naturali sola illa lex, quae conseruationem sui iniungit exercetur, & obseruatur: Reliquae mente videntur; sed bello durante earum exercitium est in suspenso. Applica dictum: *Inter arma silent leges.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Ergo quidquid etiam contra hoc *παράδοξον* tumultu- In statu na-
 eris ac clames, natura vnicuique ius in omnia dedit; turali datur
 faciendi quisque ius habet, quod libet, possidere quod ius omniū
 vult, vti, frui omnibus, quæ obueniunt. Quod sane in omnia.
 stupendum videri non potest, si consideremus statum
 naturalem bellum esse, belli vero alias, alias pacis artes
 existere, & quod nunc virtutis ac prudentiæ nomine
 celebratur, in illo statu, vbi nullum commune vincu-
 lum est, sed multæ voluntates, vitiorum ac stultitiæ en-
 comium mereri. Nimum enim simplex est, qui cum
 omnes rapiunt, lædunt, nocent, grassantur, & immo-
 desti sunt, solus modestus haberi expetit, solus patiens,
 quod idem est, ac perire, mactari, iugulari velle, & in
 ruina ac exitio suo gloriam quærere. Rideremus cre-
 do Batauos, Anglos, Germanos, si cum Franci irru-
 unt, & Gallorum vis instat, iuris naturalis præcepta,
 & rationis quasdam suasiones opponere statuerent;
 si cum socialitatis ligamenta abrupta sunt, ad tranquil-
 litatem prouocarent, & cum armorum formido vindi-
 que circumstrepit, licitam sui defensionem negligentem,
 immanis hostium præda fieri stolidissime desiderarent.
 Extra bellum hæc omnia sana esse concedo, ac recta:
 in bello vero dolum pro virtute habemus, insidias pro-
 bamus, rapinas laudamus, cædes commendamus, quia
 his sine pereundum foret, quod tamen nec ratio suadet,
 nec ipse Deus vult, qui viuere ac existere nos voluit,
 quamdiu per naturæ vires possumus, ac valemus.

v) Elumbe contra nos argumentum est: Ubi ius ibi ex altera
 parte obligatio. In statu civili hoc axioma plerumque verum
 erit: In naturali non item. In bello est Ius omnium in omnia;
 rapiunt,

rapiunt, qui possunt, nec alter tamen obstrictus est, ut diripi res suas patiatur. Status naturalis bellum est. Cum aperi insidentes in naufragio salutem quærunt plures, quilibet ius habet protrudendi alterum, ne pereat ipse; neque tamen obstrictus est alter, ut excuti se patiatur.

§. XXVIII.

Brevis dictorum re-
petitio.

Enimvero ita Hobbesius, aiunt, sibi ipsi contrarius est, quod nunc iustum pronunciat, alibi iniustum dicit; vult bellum, vult pacem, vult contraria: cumque sibi ipsi non constet, duplicem dicendus est habuisse rationem, vnam sanam, alteram corruptam. Sed permittite, quæso, vt affirmem, te nimis præcipiti iudicio Hobbesium absurditatis reum peragere, & condemnare. Repetam prius sententiæ Hobbesianæ nexum, quem omnes in tanta prolixitate non capiunt.

I. Homo cupiditatibus suis agitur, & secundum eas agit.

II. Cupiditates sunt malæ.

III. Quidquid facit, facit secundum illas.

IV. Societatem quærit, sed illis conformem.

V. Quæcunque societas affectibus nostris conformiter initur, non est vera vnio, sed disiunctio.

VI. In omni disiunctio est bellum.

VII. In omni bello cades, rapinæ, ius omnium in omnia.

VIII. In bello vita defenditur.

IX. Vitam cum anticipatione defendere quilibet,posito statu turbulento, potest.

X. E bello emergere nemo tuto potest, nisi per imperium.

Vide lector, Hobbesius in abstracto, vt loquuntur, optime comprehendit pacem in re, bis meliorem futuram.

quam bellum; sed quomodo obtineamus pacem, in statu libertatis & naturæ, (hæc enim mihi & Hobbesio status naturalis [x] significatio est,) non video. Pufendorffius & alii existimarunt, homines non esse adeo malos. Ille & velle eos sibi nocere, & posse ostendit, ostendimus etiam nosmet ipsi: etiamsi bonos malis intermixtos fingas. Debent hi quoque nocere, nî velint perire. Nunc quæritur, an iuste agant? Hic ego contra. Iuste agunt, durante bello, vbi pax haberi non potest: iniuste agerent, si pacem obtinuissent. Pax firma sine imperii vinculo haberi non potest. An in his contradictio est?

x) Reliquas significationes hic non curamus. Vide tamen Excell. *Thomasii Iurispr. Div. lib. I. cap. II. §. 50. 51. eiusdemque not.*

§. XXIX.

Sed finxit pergunt, eiusmodi sibi statum bellicosum. Non fuit vmquam, non est, non erit. Certat Hobbesius cum chimæris, fingit sibi larvas. Quæ hæc insania est, ex fictione producere vera? Nollem hæc tibi excidisse. Fingunt homines sacri, & mala quæ nondum sunt, ob oculos ponunt, vt absterreant homines a peccatis. Fingunt Logici; si asinus volat habet pennas, fictio est: sed tamen veritatis connexionem habet. Fingunt Icti, & ex illis fictionibus certa, indubitata, & commoda multa resultant. Hobbesium non vis fingere. Deinde ostendam tibi non omnia ab Hobbesio esse ficta. Gentes an viuunt in statu naturali, an non? Si dicis viuunt, vides eum non omnia fingere: Si negas, viuere debent omnes sub communi vinculo imperii; quod est falsum. Expressit veritas Hubero Icto consummatissimo confessionem: *Videamus,* inquit,

An finxerit
Hobbesius,
& si finxit
an sit culpandus?

Huberi cū
Hobbesio
confensus.

inquit, quid ex his rebus concedi possit, quid negandum sit Hobbesio. Enim vero naturam hominum esse tam corruptam, ut alter alterum oderit, alius alium subigere, spoliare, occidere velit, si detur facultas, in vniuersum negari non possit, experientia litterisque sacris id abunde probantibus. Ideo si status naturalis sine imperio ciuitatis alicubi durabilis existeret, non est dubium, quin ibi dominaretur bellum omnium aduersus omnes, ut exemplo non modo gentium barbaricarum, sed nostra quoque Frisia recenti documento probari potest. Nam celebris illa gentis nostra libertas, que post tempora Caroli Magni, nullum Principem domesticum aut alienigenam passa erat, tandem in resolutam omnium ordinum licentiam sine vlla potestate coactiua, vel vnus, vel plurium degenerauit. Qua conditione per integrum fere seculum vixere maiores nostri in verissimo statu belli omnium contra omnes, scissa gente tota in duas quidem factiones summas, verum ita, ut sine sedibus certis per omnem provinciam gladii micarent: sibi quisque nobilis & paterfamilias viribus suis fidens, clientibus amicisque in auxilium adscitis, auctor & Dux pugnae, arcibus contra arces, turribus contra turres in eadem vicinia vbique erectis, atque munitis: plerumque bellum sine legibus belli; nec modo cades & sanguis in rabie pretiorum; sed etiam in captos sauitia, carceres inhumani, deformia supplicia, & quidquid furor ciuiliis odiumque efferatum audet sine fine, modoque exercitum. Nec alius e tantis malis exitus quam per vnus imperium adductius & validius, quod primum a Saxonibus, dein ab Austriacis superuenit, inueniri potuit. Non recusamus igitur primam positionem Hobbesii summam, quod status naturalis sit bellum omnium contra omnes. Addit Hobbesius, status illius naturalis vestigia etiam in ciuitate remansisse.

Cogita

Cogita enim, verba eius sector ex Leuiathane cap. XIII. p. m. 65. quando iter ingrederis, cur comites quæris, armas gestas, quando dormitum is, fores claudis, arcas obseras, idque legibus & ministris armatis ad omnem violentiam vltimi paratis, qualem opinionem habeas de concubibus, de vicinis, & domesticis, nonne cautela ista tua humanum genus aque accusas atque ego? Adiciamus non sine ratione, eam cautionem propterea ab hominibus capi, quia noctu, & cum soli sumus, imperii vis videtur aliquatenus remota: adeoque intuta omnia; nec scio annon moderamen, quod vocant, inculpatæ tutelæ eidem fundamento innitatur, tum demum videlicet membra ac vitam propriis viribus mihi licere defendere, vbi magistratus auxilium implorari nequit. Refer huc quoque licentiam datam quibusuis, occidendi furem nocturnum: quod ad diurnū non extendunt Doctores inducti, sine dubio, quod nō tantū interdium persequi res nostras queamus, sed etiam implorare opem summæ in ciuitate potestatis. Lege tamen Grotium de I. 13. & P. Lib. II. c. I. §. 12. y) de Jur. Ciuit. lib. I. sect. I. cap. III. §. 6. 7. seq.

§. XXX.

Quæ etsi ita se habent, video, tamen permultos adhuc subducere supercilia, quod probatum nondum sit, bellum omnium erga omnes fuisse. Potius, aiunt, sacræ litteræ ostendunt, statum primorum hominum in societatibus viuentium fuisse pacificum, non bellicosum. Sed satisfecit iam huic dubio Doctissimus Theologus & Polyhistor Io. Christoph. Beckmannus in Meditat. Polit. cap. IV. §. 2. Respondeo, inquit, id ipsum confirmare sententiam nostram. Nam si societates ideo fuerunt coeue humano generi, ut homines pacati viuerent, e contrario sequitur, cō-

D

tur, cō-



tur, citra societatem (reſtoriam) homines pacate non vi-
 cturos fuiſſe, & ſocietates hominibus connaſci oportuiſſe, ne
 illi pacate non viuerent: quod ipſum eſt, quod dicimus: ſta-
 tum hominis naturalem eſſe ſtatum belli. Atque adeo, ſi
 quis concordiam exuerit, ac hoſtilem in alios animum ſum-
 ſerit, is a primo ſtatu quidem deſicit, verum ſociali, ſine
 quo in primis rerum initiis etiam inimice cum aliis vixiſſet.
 Id adhuc notandum eſt, Hobbeſio iniuriam fuiſſe factam
 a Pufendorffio & aliis, dum affirmarunt, eum homines
 a Deo fuiſſe conditos, negaſſe, ſed veluti fungos e ter-
 ra pronatos, aut veluti Cadmaeos fratres, ſemine ſpar-
 ſo, germinaiſſe. Recte addidit, *qua fabula fallor an re-
 preſentari poſſit ſtatus naturalis.* (z) Fallitur enim Vir
 clariffimus, nec Hobbeſius vniquam ex animi ſententia
 ita ſtatuit, ſed finxit, prout nemini prohibitum eſt, ſin-
 gere homines in ſtatu naturali ita exiſtare, & exiſtiſſe,
 vt tanto euidentius pateant mala, eiusmodi conditione
 poſita. Condicio vero nihil ponit in eſſe.

z) Pufend. de I. N. & G. Lib. II. cap. 2. §. 4. Tu euolue, ſi placet,
 Hobbeſium de Ciue cap. IIX. §. I. & ſequentia inuenies: *Ve re-
 deamus iterum in ſtatum naturalem, conſideremusque homines,
 tanquam ſi eſſent iamiam ſubito e terra (fungorum more) exor-
 ti & adulti, ſine omni unius ad alterum obligatione &c.*

§. XXXI.

Inter pri-
 mos homi-
 nes fuit im-
 perium.

Nec ad rem facit, homines primos non vixiſſe ſub
 imperio ciuitatis, & tamen vixiſſe pacate. Nobis ſuf-
 ficit vixiſſe ſub imperio, vixiſſe in familia: ciuitas quip-
 pe familia magna eſt, prout familia ciuitas parua. Ha-
 bet pater in familia deſpoticum certe imperium: nec in
 hoc diſtinctum ab illo ciuitatis: quod contra Pufendorff-
 ſium obſerues Lib. II. de I. N. & G. cap. 2. aduerſus *Bec-
 mannus*

An Hobbe-
 ſius nega-
 uerit ho-
 mines à
 DEO fuiſ-
 ſe condi-
 tos?

mannum disputantem. Putauit enim ille, hunc peruertisse statum controuersæ, & de societate in genere verba fecisse, cum sermo sit de societate rectoria.

§. XXXII.

Quibus præmissis relinquitur certe, immo ita dicendum esse liquido cognoscis, homines imperii vinculo connecti debere, ni necessario viuere disiunctos & dissociatos velis, mutuis bellis & pugnis se inuicem confecturos. Atque hoc etiam in causa fuit, cur *Hermogenianus* leg. 5. ff. de I. & I. ponat primo bella, deinde discretas gentes. Verba legis dabo: Ex hoc iure gen-

Hermogenianus ICty
Hobbesianus.

tium introducta bella: discretæ gentes; regna condita: dominia distincta: agris termini positi: ædificia collocata, commercium, emtiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ, exceptis quibusdam quæ a iure ciuili introducta sunt. Recte ad mentem nostram

Antonius Faber in Rational. ad h. l. Ratio, inquit, *dubitandi est; bella sunt contra illam naturalem, cognationem inter homines constitutam. Ergo contra rationem naturalem.* Sed subiungit statim rationem decidendi:

Antonius Faber Hobbesianus.

Duplex est ratio naturalis vna quæ talis est per se ac simpliciter. Altera, quæ secundum quid, & ex suppositione malitiæ humanæ, per quam violata est cognatio illa naturalis. Bella porro, quæ sunt ex ratione naturali secunda, non ex prima. Nihil ad sensum Hobbesii potuisset proferrî accommodatius. Neque enim ille negauit vniquam pacem repugnare hominis naturæ, quæ Conringii odiosa explicatio fuit. Agnouit is tranquillitatem esse suauiore, feliciorem, sanctiorem, vtiliorem, sed posita eiusmodi

hominum conditione, positis eorum affectibus maleficanis, non potuit non ominari bellum omnium aduersus omnes, in quo postea, quia turbis omnia miscentur, fit ius omnium in omnia, & cædes, rapinæ, quas in pace damnamus merito, in licitis.

§. XXXIII.

Vlricus Hu-
berus Hob-
besianus.

Fateor ingenue, eam legis quintæ expositionem videri tibi posse incongruam, atque paradoxam; a sensu Hermogeniani alienam, natam in nostro cerebro, non probandam vllius Doctoris, qui sit alicuius auctoritatis, consensu. At dixi tamen hoc solum videri ita tibi posse. Quid enim? an pati potes, vt Vlricum Huberum appellem Frisiorum Ictorum non tantum, sed & ceterorum omnium decus atque columen? Sin hoc concedas, (concedes autem spero,) ecce virum famigeratissimum pro nobis adducimus, laudamus, sequimur, commendamus. *Quid hoc, inquit ad hanc legem, quod bella ponit (Hermogenianus) ante discretas gentes, regna condita, dominia distincta? Num quid Hobbesianus est hic auctor improbatæ merito doctrine? Hobbes enim statum naturalem in quo homines a prima origine vixerunt, nihil aliud esse quam bellum omnium aduersus omnes docet. Ad primam hanc difficultatem, pergit, contenti sumus vt Hermogenianus hac parte pro Hobbesiano habeatur. Nam etsi nemo alienior sit ab Hobbesii adstructa doctrina, in hoc tamen principio, quod status naturalis humani generis sit status belli promiscuus, valde illi adsentimur, vt demonstrauimus in part. II. Digress. cap. VIII. quæ non repetimus. Nec alio Hermogenianum consilio bella primo loco posuisse persuasi sumus. (a)*

a) *Ennom. Iur. p. 13. seq. Quæ vero deinceps addit Huberus, ostendunt,*

dunt, cum principia Hobbesii patienter approbasse, ac tulisse, conclusiones prona consequentia inde fluentes, repudiassent. Quod mihi videtur aliquatenus inconueniens. Consensit is, statum naturalem esse statum belli, in hoc autem bello iniustitiæ labem adpersit hominibus, qui se modo prædicto essent defensuri. Eccur vero? quia cedere, rapere, rationi putat repugnare. Quem scrupulum ei distinctio inter statum *ordinarium* & *extraordinarium*, inter ius naturæ *absolutum* & *hypotheticum* potuisset euellere. Eadem hic ac in licibus priuatorum defendendis fere ratio militat. Satius quippe foret, vt omnis litium ferendarum materia, actiones omnes cessarent, nec iudice opus foret, nec tribunalium fores pulsarentur: at nunc cum lites sunt, cum amoris illud pretiosum vinculum est rescissum, non video cur is, cui infertur iniuria, cuiusque patrimonio damnum datum est, non possit alteri intentare litem, qui patientia eius abutitur, latentemque virtutem temere prouocat, ac experiri tentat? Hoc volo, melius fore, si homines nullo ciuili nexu indigerent, si etiam in statu libertatis pacate, atque tranquille viuerent: sed cum hoc fieri nec queat, nec fiat, credo esse ferendum, si posito statu turbulento & inimico, concedatur etiam cuiuis, quod non tantum naturalis instinctus, sed ipsa quodammodo lex diuina præcipit ac permittit. Multa enim ex hypothesi, vt loquuntur, iusta sunt, quæ absolute, vt fermocinantur in scholis, probari non possunt.

§. XXXIV.

Nunc vt videas non tantum nos Hermogenianum referre ad Hobbesii scholam, quia retulit Huberus; attendamus quæso pressius, quid dixerit, & an cum eo conueniat ex assè. *In conditione tali*, verba sunt Angli in *Leuiathane* cap. XIII. pag. 64. de bello in statu naturæ loquentis, *locus industriæ nullus est, quia nullus fructus: Nullus terræ cultus, nulla nauigatio, ædificia commoda nulla, instrumenta quibus quæ maioribus indigent viribus mo-*

Conferuntur dicta Hobbesii & Hermogeniani.

ueantur, nulla faciei telluris cognitio, nulla artes, neque societates, sed quod grauissimum est mortis violenta metus, & periculum perpetuum, vitæque hominum solitaria, indigebra, & breuis. Atque hi sunt libertatis naturalis egregii fructus. Hermogenianus contra primo docet, illos formidolosos tumultus iure gentium esse introductos, illa latrocinia, eas rapinas, istas cædes; deinde discretas gentes condidisse regna, vt si tolli non posset in totum status naturalis, tolleretur tamē, ex parte. Sub regnis, addit, distincta dominia, quæ in illa libertate, vt distincta vix concipi possunt, agris termini positi, vt defenderentur, & partim arcifiniis, partim limitaneis in tuto ponerentur; ædificia collocata, cum antea in cauernis brutorum more delitescerent, ac in arborum truncis veluti contempta animalcula securitatem quærerent; commercia instituta, emtiones ac venditiones, locationes & conductiones, obligationes inductæ, cum alias nemo alteri fidem haberet, nemo emeret, sed raperet, nemo locaret, ne hostem stabularet, & vniquam foueret in sinu, nemo se obligatum crederet, cum esset potentior, & alterum viribus superaret, & reliquos resistere sibi vix posse, speraret. Non possum non, quin

Germanorum populi
antiqui vixerunt
inter se in statu
naturali.

hic derogam aliquod viris etiam magnis adhærens præiudicium. Existimarunt illi moribus gentium Germanicarum purioribus imputandum esse, quod illæ sine ciuitate viuerent, sine commerciis, sine instrumentis, vt credebant luxuriæ; sine voluptate fere, sine commoditatibus vitæ. At meo isti iudicio rectius fecissent, si Germanos meos velut in statu naturali viuentes inter se considerassent, ita vt pagus contra pagum insurgeret, populus contra populum, Cherusci

contra

contra Marcomannos, Sueui contra Thuringos, Chamaui contra Bructeros, Vangiones contra Triboccos &c. vagi, palantes, latrocinantes, & ad bellum semper compositi; in quo illa vitæ nostræ commoda exulabant, illæ pacis artes extorres agebant, donec Carolus M. in vnum corpus compingeret discordes animas, & quæ antea non nisi tumultibus vacabant, & prædis inhiabant, Principe sub vno admitiora, ac tutiora consilia impelleret. Eadem miseria in aliis gentibus inueniebatur, quas barbaras propterea dixere veteres, utpote bonis artibus, litteris, illisque pacis suauissimis bonis destitutas.

§ XXXV.

Vnum est quod torquere adhuc alios possit, qui de Dubium statu naturali magnificentius sentiunt. Esse nempe in solvitur de ciuitate quoque non pauca incommoda, posse inter incommodum Principes degenerare, eosque qui regnant, poten- dist imperiū. tia sua abuti, quos tamen ob securitatem eligi constaret. At enim facile hic nodus soluitur. Libertas naturalis malum est; est etiam imperium: sed hoc minus, illa maius. E duobus autem malis vnum videtur eligendum, illudque quod minus est, boni speciem induit; cum alterum vice versa miseriæ nomen retineat. Libertas nomine solo blanditur, re ipsa mala, calamitosa, exitiabilis omnibus, ac perpetuum damnum datura. In hac homines noluit subsistere Hobbefius, sed potius colligandos in vnum statuit, aperto iudicio, eos aut non intellexisse, aut prætracte noticiam, quam de illius principio habent, dissimulasse, qui scripserunt, Hobbefium omnia tumultu impleuisse, & ex humano genere perpetuum funus efficere voluisse: quæ nisi fallor Hedingeri

An Hobbefius statum naturalem commendauerit?

geri in *Conspetu* I. N. opinio est. Vbi enim hoc voluit? Eam, quam Grotius & Pufendorffius quærent pacem, quærit & ipse, sed vt supra dixi, modo diuerso. Homines sub imperii vmbra vt conquiescant, & illud lamentabile funus euitent, serio intendit atque oprat.

Qualem Lectorem desideret Hobbesius?

An eius principia ambiciofis grata, atque commoda?

Quomodo Spinoza differat ab Hobbesii doctrina?

Tantum abest, vt velit perire. Hobbesius Lectorem attentum, acrem, meditabundum flagitat, non excæcaturum præiudiciis, non obrutum multa inutilium rerum lectione, & vanarum conceptionum pondere. Noui equidem *Bœclerum* existimasse, si veteres esset secutus nouus suo tempore auctor, non verberaturum adeo grauiter. Sed ille si resciuisset, responsi loco *Bœclero* quod aliis, sine dubio dedisset: *Ego si tantum legissem, quantum vos, in eadem vobiscum ignorantia versarer.* Illud me ipsum vssit aliquando, eius principia ambiciofis solum fore grata, qui hac semper excusatione vtuntur, se quærent pacem, sed quia obtinere nequirent, ab se esse quærenda belli auxilia. Sed deprehendi demum id eodem modo occini Grotio & Pufendorffio posse. Neque enim ita sociales volunt homines, vt si tranquillitas obtineri nequeat, eos obtestentur omnibus modis, vt viuant tranquille. Probant & ipsi bellum, defenduntque, vt probat ac defendit Hobbesius. Si qui eius abutantur dictis, id Philosophiæ hominis in hoc sani neuiquam censeo impudandum, sed aliis bene dicta male applicantibus, aut inscitiam affectantibus, aut plane non intelligentibus id quod supra captum est triariorum, seu vulgi.

§. XXXVI.

Sed satis pro Hobbesio credimus esse disputatum, eiusque accurata principiorum, quæ posuit, demonstratione. Restat nunc vt videamus, quomodo illa a decretis

cretis Spinozæ differant. Hæc vero infelix anima longius nisi fallor procedit, nec fines regit, sed perumpit (b). Agnoscit quidem, ut alter, ius omnium in omnia, nec male hactenus, quamdiu de statu libertatis loquitur. At iam extra orbitam profilit, & reipublicæ obligationem in hoc, ait, consistere, quod multi qui in vnum conuenere, singulis potentiores sunt, vt eos queant cogere. Eam vero cessare, vbi plures, vel qui ius plurimum e consensu habent, potestatem reliquos cogendi amiserint. Quod sane est pactorum vim omnem conuellere, & post introductam ciuitatem inducere nottos tumultus, noua bella, nouum exitium, & maius aperire sepulchrum. Pacta Spinozæ mera verba sunt, e quibus ius nullum nascatur. In hoc Hobbefius semper dissentit, dissentietque. In huius Systemata ius a vi seorsim consideratum datur in ciuitate. Ostendit ille pacta obligare, demonstrauique, hominem non fore hominem, hoc est ratione sua vtentem, si quod promisit, non seruare, & quod dedit nollet dare, atque relinquere. Ommitto Spinozæ proprium esse ab altero in his disputationibus numquam proditum, Deum & mundum esse, vnum & idem, res omnes, etiam animas a causis naturalibus esse productas, easque necessario agere, & per eas vniuersum regi, regi quoque hominem, quod est tollere bonum, malumque, miscere cuncta, confundere causæ & effectus clarissimas notiones, ac fatale fides obtrudere rebus quibuscumque, Atheorum more, in quorum classe si quisquam fuit, maxime sane fuit, Benedictus Spinoza.

b) Vide Tract. Theolog. Polit. cap. II. §. 4. seqq.

c) Conf. Lib. de Ciue cap. II. & III. §. 2.

E

§. XXXVII.

§. XXXVII.

An gentes
liberæ in-
ter se sine
hostes?

Vnum amplius deducamus, quod obiter indica-
uimus supra, quæsituri iam exactius, an gentes seu res-
publicæ liberæ viuant inuicem vt hostes, earumque
conditio indolem belli habeat. Hostis est, quisque cui-
que, cui neque paret, neque imperat. Hæc Hobbesii
propositio est. An paradoxa, an falsa videamus. Vi-
detur, inquit, falsa, quia cognatio etiam inter gentes
est; nec illæ, quas iactas respublicæ perpetuo hostes in-
ter se sunt. Pacem pangunt, recedunt ab armis, nec
tamen imperant sibi inuicem, neque parent. Hic ego
respondeo. Consistit natura belli non semper in pu-
gna, spectatur hoc loco animus & voluntas armis de-
certandi. Quoties cælum imbrem minatur, non qui-
dem dicimus pluit actu, sed pluet, & si pluit imbrem,
habes. Eadem ratione, cum se præparant ad bellum
gentes, non statim adest pugna, sed obueniet, misce-
biturque, quam primum vnusquisque populus vires ad-
quisiuerit, & potentia animum inspiret, aut aliarum
circumstantiarum probabilis ratio. Quod possint, &
velint sibi nocere pro certo habemus. Habent enim
affectus, habent illas turbulentas cupiditates, quæ par-
tim ad insidias ducunt, partim apertam vim suadent.
Semper, ait Hobbesius in Leuiathane cap. XIII. pag. 65.
*alii aliis suspecti sunt, more stantes gladiatorio, armis ocu-
lisque intentis, id est, castellis & presidis ad consinia collo-
catis, & exploratoribus in hostico latitantibus, quæ est con-
ditio belli.* Quod si pacem ineant, iurentque, voce si-
bi inuicem blandiuntur, & qui non intelligunt, decipiun-
tur. Non enim omnimoda ab armis cessatio hic inue-
nitur, quæ pax foret; sed intermissio temporaria, vt
tanto

Quid sit
pax inter
gentes?

tanto maiori impetu se inuicem possint concutere. Iunant pacis fœdera concludentes, vt magis mascule vorent, non aliter ac solitaria pugna decertantes sæpe quiescunt, vt reparatis viribus tanto certius atque fortius feriat ictus inimica præcordia. Neque rem conficeret, qui ita peroraret: Apage tuas ratiunculas. Quæ hæc miseria est, si vigeant perpetua inter gentes bella? Ipse Hobbefius improbat illam infelicem hominum conditionem ac fere deplorat. Qui nexus? quæ consequentia? Iam vult ac defendit statum inter gentes hostilem, calamitosum, ærumnosum, exitialem. At defines, credo, iactare querimonias, si etiam me audias. Hobbefius non negat duraturam, quamdiu gentes durant, miseriam, sed vide quomodo se extricet. *Quia, inquit, salutis subditorum prouideri aliter non potest, non sequitur tamen illa miseria, quæ priuatorum hominum libertatem plenam esset secutura.* Monarchia vniuersalis, verum est, tolleret forte illa mala, sed antequam obtineat scopum plus vltra spirans Princeps, non cessarent sane tumultus, & armorum cruentus horror. Defendunt Imperantes suam, quam acceperunt libertatem, quamdiu eam defendendam sperant. Sperant autem, quamdiu spirant, & dolus, & vis, & insidiæ media suppeditant auertendi iugum, declinandique seruitutem.

§. XXXVIII.

Naturalis illa quam vrbes gentium cognatio leue ligamen est, rumpendum facile, conscindendumque. Quid enim intelligis quæso per illam cognationem? Quid de naturali gentium cognatione habendum? An quod homines sint gentes, quod eadem in illis machina humana reperiatur: iidem artus, idem sanguis, nerui iidem. Atqui odio se inuicem habent, aut si ma-

De Monarchia Vniuersali.

36 STATVS NATVR. HÖBBES. IN CORP. I. C.
 uis non amant. Non dicam, frustra cognationem fini-
 gi, atque societatem gentium, quod Galli Germanos
 non cognoscant omnes, non Angli viderint omnes Ba-
 tautos, non Bataui Suecos. Noui instantiam, nec in-
 ciuitate omnes inuicem notos esse, multosque versari
 in vrbe, in eadem societate, sub eodem imperio, quo-
 rum oculos non distinguit meus, quorum facies vultus-
 que non obseruauit Meuius, Caius, Titius. Hoc vrgeo,
 gentes non amare gentes, Rerumpublicarum non esse
 veram societatem, non liberam a suspicione, non va-
 cuam a metu. Metus autem ad indolem belli pertinet:
 erupturus cum fragore, si spes sit opprimendi alterum.

§. XXXIX.

Neque vero primus ista Hobbefius tradidit. Al-
 legat Pufendorffius acris alias Hobbefii censor locum
 Plato Hob- e *Platonis* lib. I. de Leg. vbi dum Clinias Cretensis ra-
 besianus. tionem, quare Cretensium legislator multa instituta,
 rem militarem spectantia introduxerit, ita subiungit:
 Άνοιαν δὴ μοι δοκεῖ καταγνῶναι τῶν πολλῶν, ὡς ἔμμανθανόν-
 των, ὅτι πόλεμος αἰεὶ πᾶσι διὰ βίης ζυνοχής ἐστὶ πρὸς ἀπάσας
 τὰς πόλεις. ἦν γὰρ κακῶσιν οἱ πλείστοι τῶν ἀνθρώπων εἰρήνην,
 τῆς εἶναι μόνον ὄνομα, τῷ δ' ἔργῳ πάσαις πρὸς πάσας τὰς
 πόλεις αἰεὶ πόλεμον ἀκήρυκτον κατὰ φύσιν εἶναι. In quo sa-
 ne arbitror eum stultitia crimine permultos condemnasse,
 quod minime intelligant, bellum ciuitatibus cum omnibus
 iuge ac perpetuum esse. Quam enim plerique pacem no-
 minant, id esse nomen solummodo existimandam, re vero
 ipsa omnibus ciuitatibus aduersus omnes non indictum bel-
 lum natura esse. Refert etiam Thucydides in Lib. I.
 nauigantes diuersarum nationum se mutuo olim sine
 conuitio fuisse percunctatos; numquid essent pradones?
 Pom-

Pomponius vero ICTus non infimæ scilicet eamdem nisi pomponius
ICTus Hob-
fallor opinionem adoptat l. 5. ff. §. 2. de captiu. & post- besianus.
lim. iur. *Nam si, inquit, cum gente aliqua neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitia causa factum habemus, si quid ex nostro ad eos peruenerit, illorum fit, & liber homo noster ab eis captus fit seruus eorum. Idemque est, si ab illis ad nos aliquid peruenerit.* Prætermitto, **V**lpianum Germanos & Partbos appellare hostes, quia vicini. Neque enim responsio forte deesset contradicentibus. Sufficit nobis captiuitatis & postliminii ius apud Romanos huic præcipue iuri inniti, quod barbaricum atque efferum vocent aliqui; nos deplorandum dicemus, quod stante hac gentium conditione temperari quidem per pacta, mutari vero in totum non possit. Est & in Solonis lege veteri, quam Gaius retulit l. 4. ff. Solon Hob
de Colleg. & Corpor. τῶν ἐπὶ λείαν ἐρχομένων seu οἰχομένων besianus.
prædæ causa coeuntium societas rata habita, licet hic obloquatur Salmasius (d). Putat enim is lectionem circumferri mendosissimam, scribendumque potius ἢ Salmasii
eis καπηλείαν ἐρχόμενο, ἢ εἰς ἐμπορίαν, qui societatem con- crisis.
traxerunt, cocionaturæ gratia, aut mercaturæ. At si quæras cur vrat, fecetque hunc locum Salmasius, non MS. ille affert, quod in his necessarium arbitramur, sed coniecturam vento leuiorem. *Ἐπὶ λείαν, inquit, ad prædam, quasi vlla societates ad prædandum in commune coire vquam iure bono potuerint, ferri prorsus non quit.* At enim vero an Salmasius, quæ attulimus, non legit? an non considerauit collecta a Grotio? (e) an vetustum adeo est mendum, vt iam in Basilicorum Græca interpretatione sit retentum? Latinus fateor legis Solonis interpres verba alio detorsit, quod absurdum atque falsum

Reiicitur a
Wissenba-
chio.

putaret probari ista latrocinia. Rectius Wiffembachi-
us ad tit. ff. de colleg. & corpor. §. 13. *Ac impunita quondam
latrocinia, nec ullam propterea infamie notam iniustam fuisse,
litteris proditum. Id inde ortum est, quod regula illa
iuris naturalis cognitionem inter h mines quamdam esse a
natura, ac proinde nefas esse, alterum ab altero ladi, ut o-
lim ante diluuium, ita rursus aliquo post diluuium tempore
malis moribus esset obliterata, ita ut latrocinari & preδας
agere in externos nullo bello indicto, pro licito haberetur:
quod Σκυτισμὸν vocat Epiphanius. Hinc illa apud Home-
rum, an pradones estis? amica interrogatio; & in Solonis
lege veteri collegia ἐπὶ λείαν οὐχωμένων, quippe ut Iustinus
ait Lib. XLIII. ad Tarquinii tempora latrocinium maris glo-
ria habebatur, ut temere Salmasium Lib. I. de usur. cap. 12.
p. 336. & in miscellan. defens. c. 4. pro ἢ λείαν in d. I. ult.
scripsisse existimem ἢ εἰς καπηλείαν. Nec melior scriptu-
ra, ut ipse agnouit Salmasius, quam excogitauit erudi-
tus ad leges Atticas scriptor ἐπὶ λείον, quasi ad frumen-
tum. Nam λείον Græce nusquam pro frumento legi-
tur, sed est seges frumenti ferax τὸ σιτοφόρον χωρίον quod
& λήϊον dicitur. Interim non curamus illa quæ Pufen-
dorffius adiicit, pudere propemodum homines debere cultos
pactum inire, cuius capita nihil aliud contineant, quam ne
simpliciter ac directe ius naturæ violetur, quasi citra illud
pactum non satis quis officii sit memor futurus. Pudeat ho-
mines, pudeat quemcumque naturæ rapacis, turbulen-
tæque, sed ita tamen est illa; nihilominus fiunt eiusmodi
pacta, nullaque fere gens est alteri contigua, quæ ta-
li non prospiciat sibi conuentione, manifesto indicio,
pacem inter populos ac nationes infidam videri, immo
potius nullam.*

d) Lib. I. cap. XII. p. 336.

e) Lib. II. de I. B. & P. cap. XV. §. 5.

§. XL.

§. XL.

His ea ratione ventilatis, facile nunc quoque de-
 cidi posse arbitramur, quid metus crescentis potentiae
 fuadeat, inculcetque. In ciuitate non diffiteor pericu-
 lum praesens requiritur, & quasi in puncto, non sine a-
 liqua tamen latitudine, vti limitat Grotius. Qui me-
 tum qualemcumque ad ius occupandae interfectionis,
 aut solitariae pugnae admittunt, fallunt, fallunturque.
 Sub imperio insignis illa *Gethii* sententia locum habet:
Gladiatorum composito ad pugnandum pugnae hae proposita
sors est, aut occidere si occupauerit, aut occumbere, si cessa-
uerit. Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam in-
domitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior in-
iuriam facere debeas, quam nisi feceris pati possis. Praetor
 actionem in republica dabat Romana, etiamsi metus al-
 legaretur; & vis facta diceretur, quod concipi vix que-
 at, eo audaciae quempiam esse prorupturum, vt cum a
 violentia reuoluerint homines, gladiosque micantes
 magistratum animaduenterint, nihilominus latrocinii
 operam sit daturus, aut adhibiturus violentiam, tot le-
 gibus, poenisque proscripsum. Igitur paulisper audie-
 bat agentem, deinde vero furore comperto, impetuque
 quem praesumere non poterat, ad liquidum perducto,
 detectoque, exceptionem iure dabat, vt elideret homi-
 nis temeraria consilia, iniustasque petitiones nullo mo-
 do in ciuitate, tranquillitatis ac pacis sede, ferendas.

§. XLI.

Enimuero iure gentium aliter tradendum est, do-
 cendumque. Haec inuicem metuunt, hostesque sunt,
 nec cessant a tumultibus, abstinentque manus, nisi ubi
 aequitas quamuis in officio retinet, ne exspa-
 tietur,

De metu
crescentis
potentiae.In ciuitate
metus praesens
requiritur.Cur Praetor
actionem
etiam la-
troni con-
cesserit?In statu na-
turali me-
tus crescen-
tis poten-
tiae sufficit.

40 STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. C.
tietur, rapiat oppugnet, opprimat. Fac itaque aliquam
proflire ex æquilibrio, & crescere & auferri in immen-
sum, an ad illam potentiam imminuendam non licebit
iure naturæ seu gentium arma fumere, aut impedire a-
lio modo, obnitique, ne tibi noceat, pessundetque po-
pulum, iugo sui principis adfuetum, non adsuefacien-
dum seruituti alterius? Nondum nocuit; occinis, ne-
que nocebit forte; futurum in incerto adhuc est: quis
tibi sic *timere permisit*? ait *Vibius Crispus* apud *Quinti-*
lianum.

Incerta hæc si tu postulas

Ratione certa facere, nihilo plus agas,

Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Videamus, quæso, an cum ratione insaniamus; aut illi a
iustitiæ, honestatisque tramite deflectant, qui a te dissent-
tunt. An enim exspectandum credis Principibus, nul-
lius superioris auxilio supatis, donec ingruat hostis, &
quadrupedante sonitu quatiat vngula campum? Non
obligamur in libertate naturali præsentem vim suspen-
so animo opperiri. Iustus hic metus est. Potest po-
tentior nocere, vult nocere. Ea hominis natura est,
quam partim experientia comprobauit, partim omni-
um gentium loquuntur exempla, & tu Philosophum
agis acrem, ac præcisione subtili tibi censeres blandien-
dum, cum interim contrarium videas, sentiasque quo-
tidie, licet nulla rerum præteritarum ex historiis tibi no-
titia adfulgeret. Dabo pro tuo alium ex antiquitate
flosculum.

Posse nocere sat est.

Quodque potest alios perdere, perde prior.

Aiunt iuris interpretes, melius esse intacta iura seruare,
quam

quam post querere medicinam. Non auaritia, non crudelitas modum nouit. Perpendas velim illa Petronii:

--- Si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus fuluum qua mitteret aurum,
Hostis erat.

Phaleris vero ornata admodum oratio est: *grauissimum esse peccatum mei similem, Dei effigiem, eodem mecum ortum sanguine, quem seruare imperat ratio, exigit pietas, officium postulat, ipsum perdere cruentoque modo aggredi.*

Neque enira illa quisquam negat; in hoc consentiunt omnes, sine causa effundi sanguinem non posse; sed queritur, num metus potentiae nimis crescentis non sit causa praegrans, sufficiens, vrgens. Sane si aliquis ostenderet, omnis generis vina Hungaricum, Hispanum, Rhenanum, Graecum, Italicum &c. calefacere, concedendum credo foret, vina omnia calefacere, donec ostenderetur aliquod, quod nullum in sanguine cieret aestum motumque. Ita cum nullum potentiae alicuius magnae exemplum suppetat, quae non ulterius & longius quam par erat, sit vagata, stateramque transilierit, & contiguas infirmiores gentes deglutiuerit, non absurdi certe sumus, si in vniuersum concludamus, metum adsurgentis potentiae non extra iusti belli causas esse ponendum; vsque dum contrariis exemplis demonstrauerit alter, bonitatem, amorem, studiumque pacis in potentiorum animis reperiri, atque regnare. Recte *Arionius* ad Caesarem (f), debere se suspicari simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. Quod nisi deeedat, aut exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. Quis enim non arbitraretur, re-

Potentes
turbant, aut
statim,

F

motiore

motiore vicino iam subuerso non detenturam in se calamitatem? Campani contra Samnites pro Sidicinis verbo, re pro se arma ceperunt, idque testantur eorum Legati ad Romanos missi apud Liuium (g). *Quamquam pugnauius, aiunt, verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi constagrassent Sidicinos, ad nos traiecturum illud incendium.* Samnites vero adnotante eodem Liuius, *quia viribus plus poterant inimicum ferrum strinxere.*

f) De B. Gall. Lib. I. cap. 44.

g) Lib. VII. cap. 30.

§. XLII.

Aut aliquando.

Sed fingas licet Alexandrum, quem tibi proponis, potentem non oppugnaturum esse vicinos infirmiores, non oppressurum imbecilles, eumque exuisse animum huic hominum generi alias infidentem ac proprium, quis quæso populum ei vicinum redditurus est certum, posteros in eadem tranquillitate ac intentione esse perfituros, alienos a bellis, insidiis, & vafrauentis? Prudentia in tuturum prospicit; sapiens Themistocles de rebus, quæ euenire & possunt, & solent, callidissime coniiicit. Post ruptum æquilibrium sero demum sapiunt Phryges, suoque malo sentiunt, quam ineptum sit negligere incendium, cum proximus ardet Vcalegon, aut parui pendere pondus alteri accedens, oppressurumque reliquos. Distinctionem quam Grotius (h) aliique hic inculcant inter vtilitatem & honestatem, inter prudentiam & iustitiam nullius puto esse momenti. Quod enim vere vtile est, simul quoque censeretur debet honestum, quod veræ prudentiæ laudem meretur, a iustitia non potest esse alienum. Potentes coercere intra terminos, non huic tantum & in indiuiduo, vt loquuntur,

Vtilitas & honestas an hic differant?

tur, vtile est, sed omnibus omnino populis, ne opes immodicæ, atque nerui ad perniciem eorum applicentur. Illud vero plane videtur absonum precari & obtestari illos, quorum pollentia est suspecta, ne noceant. Frustra sane preces ad leonem diriges, ne voret, rapiat, atque viribus suis vtatur. Terruerunt iam ita mortalium pectora vestigia validiorum Principum, ne amplius possint adhibere fidem illis, licet facunda oratione inspirare somnum intendant minus valentibus. In vanum itaque laborarunt alii, vt indicia ponerent clara ex quibus constet pateatque, quando ex alterius opibus immineat periculum. Imminet namque semper: turbas dant potentiores sine intermissione.

h) De I. B. & P. lib. II. cap. I. §. XVII.

§. XLIII.

Nec exhaurit rem, quod afferunt. Cautionem sumi debere innoxiam: non esse quidem ab ratione alienum, vt quilibet se muniat aduersus incertos metus, sed omni vi interea esse abstinendum. Edisseras potius velim quid per illa intelligas munimenta? An tu existimas alterum potentiozem illas munitiones, foedera, conditiones passurum æquo animo? Si quid conicio, oppugnare certe incipiet, & ita habebis bellum, quod horres. In hoc Gallix Rex semper obtinuit primas, quod reliquæ in Europa gentes sese quidem muniuerunt pactionibus aduersus inualescentes eius opes: ille autem vel initio eas subruit, vel post aliquam temporis intercapedinem, conclusa foedera dissipauit, singulos pugnantes vincendo pro culcandoque. Deinde a falso propius abest, metus esse incertos. Ostendimus iam contrarium, & experimur quotidie diuersum, vt omittam in presentia, valde eum simplicem fore censendum, qui dum potest in fauillis

De cautione innoxia iudicium.

44 STATVS NATVR. HOBBS. IN CORP. I. C. &c.
lis exstinguere nocituras scintillas, & auertere vulnus, de-
fperata demum caussa, cum iam furit cœcus ignis, aut in-
flicta plaga ad præcordia serpit, ad consilia salubria ap-
pelleret animum.

§. XLIV.

An idem
obtineat
in Christia-
nis?

Vnum restat argumentum, quod amicus proposuit a-
mice, quodque subruendum credimus leniter, ne maneat,
scrupulus, vratque bonam mentem. Fateor, scripsit, aduer-
sus nationes efferas, barbarasque valituras tuas rationes:
in mediis Christianorum populis non valebunt. Imbiberunt
illi tot sacra morum præcepta, agnoscuntque, vt tam ferox
illis adscribi nequeat animus, tamque nefanda consilia attri-
bui illis possint haudquaquam. Optime inquam, si proba-
tum foret, homines, atque eos etiam, qui in excelsis ætatem a-
gunt viuere secundum sana, quæ audiunt, noruntque prin-
cipia, non autem secundum suos affectus, atque cupiditates.
Hoc quamprimum ostendatur, victas dabimus manus, re-
uocaturi dicta, mutaturi animum, commendaturique ea,
quæ Grotius, & cum eo sentientes largiter inculcarunt.
Homines affectibus ducuntur, Principes sunt homines, re-
gunturque ab illis, in quibus tumultuatur cupiditas, re-
gnatque appetitio, a vi sibi præsidium quæsitura, & plus
vltra nullo non tempore anhelans, & anhelatura. Quod
iniuriosum futurum Regibus dici non debet, nisi iniurio-
sum itidem existimes, eos appellari homines. Tibi si alia
sedeat opinio, retine, & bonos, meliores, immo optimos fin-
ge homines. Scripsimus quod videmus, audimus, senti-
mus: tu scribas teneasque, quod nemo experitur, & videt.

TANTVM.

EMENDANDA.

p. 2. lin. 14. pro *principis lege fundamentu.* p. 5. lin 3. post. IV. ad-
de *Astronomicon.* p. 18. lin. penult. pro *exulare lege exulare.*
p. 29. lin. 18. pro *pacate lege pacati.* p 30. l. 19. pro *vnquam leg.*
anguem.

* (o) *

Præses RESPONDENTI

Gloria Maiorum, & præclara mente admodum fulgenti Iuueni

S. P. D.

ET si multi operam dant bonis artibus, & Academias frequentant more maiorum: pauci tamen inde redeunt onusti dignis mercimoniis, quæ faciles inueniant emtores, nullaque opus habeant commendatione. Plures ad res inanes delabuntur, tempus perdunt in ludicris, pecuniam consumunt inutiliter, sibi graues, parentibus dedecori, sapientioribus derisui. Inquisiui non raro in huius mali causas, & partim discipulorum in animis, partim parentum educatione, partim in præceptorum methodo atque ordine deprehendi culpam. Illi quippe in eam sæpe deueniunt opinionem, studiorum fructus scholæ esse relinquendos, sibi ex puluere illo potius esse exeundum, ne aliquid hæreat inconcinni, aliquid eruditi, solidique; quasi bonæ litteræ oneri forent, atque impedimento illis, qui ad altiora contendunt. Inde se ad externos proripientes, nudi incedunt, atque inermes, linguamque, si quid adhuc magni spirant, imbibunt peregrinam, saltationibus dediti, fidibus vanissimas animas recreantes, sequiori sexui litantes, ac incendentes thus suum, consecrantisque, quod habent, aurum, ut aliquando

Saltet nudus coram latrone viator.


Sexcenta omnibus diebus occurrunt specimina. Numerat Gallia, recenset Batauia, narrat Anglia, refert Italia

G

Italia


talia Germanicæ gentis imaginarios lusus, & frequentia bonæ mentis deliquia: neque tamen cessant noua exempla. Oberratur denuo eadem chorda; nec dediscitur ille mos, ille luxus inanis. Agunt potius, agentque illa peritura gaudia inter saniorum lamenta, suos sine intermissione triumphos. Quod quidem ipsis esse imputandum adolescentibus, nemo non videt. At sunt etiam parentibus sui nati. Numos illi adquisiuerunt sibi, sunt in lautiore parte positi, iactant antiquas imagines. Curant illi liberorum suorum corpus, animum negligunt, quasi is pro sale esset, ne putrescat miserandæ fortis cadauer. Indulgetur non nihil stolidis eorum affectibus, quos reprimi fas esset, atque coerceri; ne erumperent cum dedecore, nocerentque Reipublicæ, quam sartam esse atque tectam expedit omnibus. Satis hi obtinuissent sibi videntur, si recipiant filios inscios, rudes, ignarosque rerum omnium, decoctores numorum, ignauos, irati interim omnibus, qui detrahere æstuantibus voluptuosam cuticulam intendunt, eosque ita conantur formare, vt in patriæ gloriam efflorescant, vacui ab illis cupiditatibus, quæ tot egregia perdidierunt ingenia, labefactaruntque. Quibus demum peruersi Magistrorum mores accedunt, suam magis vilitatem querentium, quam illorum, qui curæ ipsorum sunt commissi. Deponunt isti citius macilenti corporis exuias, quam inueteratum semel ordinem; seueri, tristes, obscuri, fabricamque antiquam retinentes mordicus, ne auctoritas, quam semel stabilitam credunt, labefcat, atque aliquid capiat detrimenti. Ita vero subsidunt animi, & desperati aufugiunt, quos retinere in officio, & allicere facile studiorum dulcedine possent, si laxare

si laxare & obliquare sinus vellent; seseque accommo-
dare ad captum discentium, & eurare carnificinam ere-
ctis ingeniis odiosam. Vanum namque est, quod vr-
gent, iuvenes debere sectari viam ipsis præscriptam,
definitamque; iniquum esse vt Evathlus a Protagora
flagitet eiusmodi vile obsequium. Sin nolint audire,
semel a se approbatas & excogitatas cantionum formu-
las, discedant licere, abeant, permitti, aufugiant, non in-
terdici. Quod absolum sane credimus, & velut ob-
stinatioris animi abortum intuemur. An enim genui-
na semper via est, quam insistant isti homunciones? an
eorum materialiter atque formaliter, ἀπλῶς atque κα-
τασκευαστικῶς adeo pretiosum, illorum cerebrum adeo
sanum, vt nullo helleboro opus habeat? Sed finge,
in quibusdam eorum methodum non inuentam fuis-
se sine fructu: an ingenia inter se cuncta æqualia? an
educatio omnium eadem? an non quidam alacri,
quidam tarda, & rursus alii mediocri sunt indole? Tu
VOLCAMERE suauissime eum nactus es animum,
vt cognoscas probe, amice in vna sede morari nobilita-
tem, atque artes. Tu per quadriennium, & quod ex-
cedit, in hac Fridericiana tanto studio litteris quibus-
cumque operam impendisti, vt bene præparatum, co-
ctumque nunc geras pectus, adeundi cum fructu exte-
ras terras, vbi quærendus Solon est, nec sectanda ina-
nia gentium vitia. In hoc PATER Tuus, vir eminenti-
tis ingenii, Mæcnas meus summus, strenue inuigila-
uit, vt cresceres, & adsurgeres in emolumentum Reipub-
licæ, quæ incluta Procerum sapientia in hunc vsque
diem stetit incolumis, stabitque, vt auguror, æter-
num. Ille Tibi eos selegit Præceptores, & Tu pro
G 2 ea qua



ea, qua polles ingenii solertia, ipse quaesiuisti tales, qui discentium profectus, non optant tantum augere, sed augent, non mouent solum, sed etiam promouent: nec obscuris verborum inuolucris, tristisque ordine videntur; sed facili, clara, omnibusque perutili doctrina. Itaque secede nunc felici ab hac Academia omine; permutaque scholam, cum aliorum populorum scenam, ubi sapientes, & insipientes occurrunt. Habebis, me non monente, priores ductores, comites, amicos; ut redeas aliquando in Patriam sapientia, bonisque moribus diues, & locupletes noua imagine splendorem familiae, quam colo, colamque perpetua ueneratione. Ero etiam ego post breue temporis spatium ita faustus, beatusque, ut de Tuis dotibus plura coram Generosissimo, quem laetus nomino, PATRE, coram Tuis, coram Eminentissima Republica tota, cui optima quaeque ex animo uoueo, possim testari. Vale, & mei, monitorumque, quae ad Tuam salutem promouendam dedi, memor esto constantissime.

Dab. Halæ IV. Non. Maii
clō MCCCVI.




es,
re,
nt:
v-
na.
er-
,
e
s;
e
o-
a-
n
m
m
ti-
&
o-

02 H 534

ULB Halle
003 094 502 3







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Q. D. B. V.

STATVS NATVRALIS HOBBSII IN CORPORE IVR. CIV.

DEFENSVS ET DEFENDENDVS,

Occasione L. 5. de Inst. & I.

9775

Quem

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO VVILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.
DVCA TVS MAGDEB. GVBERNATORE, CETERA,

P R A E S I D E

NICOLAO HIERONYMO
GVNDLINGIO,
I. V. D. & P. P.

ad d. V. Maii A. MDCCVI. H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini subiiciet

GEORGIVS CAROLVS *Boltamer*
a *Kirchensittenbach*.

Typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typ.